



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm IV. Constitutus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

cialem consensum habeant; excepto quod donare nequeant, sicuti traditur in cit. l. Procurator cui, iun. rubr. & Gl. & videri potest Gl. in c. petitio, 9. ver. generales, ibid. Abb. de procurat.

## CAPITVLVM IV.

## Constitutus.

## PARAPHRASIS.

Inter Gasparem & Alexandrum Clericos controuersia erat super quadam Capella, quam ipsi per transactionem, fide inuicem data, finierunt. Sed cum Alexander transactione stare nollet, ad Pontificem causa deuenit, qui respondit; Huiusmodi transactionem continere speciem simoniae; quare eam in irritum reuocata, controuersiam inter dictos clericos secundum iura dirimendam esse.

## SUMMARIUM.

*Transactio proprie dicta super beneficio, seu iure beneficii, si propria auctoritate fiat, tanquam Simoniaca damnatur.*

**N**OTANDVM Vn. Transactio super beneficio, seu iure beneficii, si propria auctoritate fiat, tanquam simoniaca damnatur, vt hic, & in c. super eo, 7. hoc tit. & dixi lib. 4. tr. 10. c. vlt. n. 57. Intelligitur autem hoc, si sit proprie dicta transactio super causa beneficii dubia. Sin autem beneficii alicuius possessor liquidum in eo ius habeat, atque iniusto petitori pecuniam v. g. offerat, vt a vexatione desistat. simoniacus cenferi non potest: cum pecuniam non det pro iure beneficii acquirendo, aut stabiliendo, sed pro iniuria, seu vexatione redimenda, vt dixi cit. c. vlt. n. 22. Caeterum in externo foro praesumptio erit contra eum, qui ita transigit, vt proinde consultum non sit, tales pactiones inire, nisi notorium sit, quod alter iniuste vexare intendat.

Porro, vtrum Iudicis seu Superioris au-

thoritae transactio super lite beneficii fieri possit, dicitur hoc tit. c. super eo, 7. & dixi cit. c. vlt. n. 58. Denique dixi: Transactionem, tanquam simoniacam damnari; quia interdum non committitur simonia ex rei natura; sed solum ex Ecclesiastico iure, quo omnes pactiones circa beneficia, si propria auctoritate fiant, damnantur, tanquam simoniae speciem gerant. Verum eiusmodi non esse proprie peccata simoniae, tanquam probabilius docui in cit. c. vlt. n. 66. Quare aliqui existimant, nominatim Abb. hic, n. 3, non eisdem poenis subiectam esse simoniam, quibus alia proprie dicta simoniae peccata subiecta sunt: licet contrarium sentiat Gl. hic ver. audiat, & alij, quos secutus sum cit. n. 66. dicto 2. & sumitur ex c. cum olim, 7. de rerum permutat.

## CAPITVLVM V.

## De caetero.

## PARAPHRASIS.

Cum duo Parochi Titius & Caius, super iure cuiusdam Capellae controuersia haberent, Titius impetratis literis Apostolicis ad Iudicem delegatum, coram eo transactionem fecit cum aduersario, absque diocesani consensu: quaeritur, an ea rata esse debeat. Respondet Alexander III. Si alioquin iuri contraria non sit, ab Episcopo improbari non posse; dummodo transactio ita fiat, vt qui in capella antea institutus erat, v. g. Titius, ius suum beneficiale retineat. Caeterum, si alteri Parochiae, cui aduersarius Caius praestit, absque Episcopali auctoritate census ex capella illa soluendus sit, is vitam Titij excedere non debet. Ita Hostiensis apud Imolam hic, col. 1.

## SUMMARIUM.

1. *Litigans super beneficio coram Iudice a Papa delegato transigere potest, etiam absque consensu Ordinarij, sine quo rati-*  
men